



Fundamentum tamen scripturisticum praebent hi textus quibus voluntas Domini manifestatur ut Collegium Apostolicum a Se fundatum maneat usque ad consummationem saeculi.

In *Mt.* 28, 16-20 “ Undecim ” discipuli debent docere omnes gentes, easque baptizare, illisque “ Undecim ” Christus Dominus suam praesentiam promittit “ usque ad consummationem saeculi ”.

In *Apoc.* 21, 14 legitur: “ Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni ”, quo indicatur duodecim Apostolos esse fundamentum Ecclesiae.

In *Mc.* 16, 14-18 “ Undecim ” mittuntur in mundum universum et debent praedicare Evangelium omni creaturae.

Quomodo autem re haec voluntas Domini executioni mandata sit et qua forma illud Collegium in Ecclesia permansurum sit, id in S. Scriptura non dicitur, sed eruendum est e doctrina Ecclesiae, quae Spiritu Sancto duce, hanc voluntatem interpretata est ».

B. — « Potestas ligandi et solvendi de qua in *Mt.* 18, 18 videtur esse eadem ac in *Mt.* 16, 19. Quod autem sit “ suprema ac plena in universam Ecclesiam ” ad mentem schematis, *non constat*.

Interpretes unanimes non sunt in explanandis verbis *ligare* et *solvere*.

Quidam ea intellegunt de potestate doctrinali et disciplinari, in qua includitur potestas absolvendi a peccatis; alii de potestate remittendi peccata, cf. *Io.* 20, 23; alii in *Mt.* 18, 18 de potestate excludendi peccatorem a coetu Ecclesiae eumque reconciliandi; cf. *Mt.* 18, 17 18 ».

B. N. WAMBACQ, *ab actis*

3

ADDITAMENTA AD ORDINEM CONCILII OECUMENICI VATICANI II CELEBRANDI

1. Ut schematum vel eorum partium disceptatio aptius ordinari possit, quivis Pater — Em. mis Cardinalibus non exceptis —, qui de illis verba facere vult, orationis suae summam Secretario Generali, saltem quinque diebus antequam disceptatio initium sumat, scripto exhibeat.

2. Moderatorum est non tantum Concilii labores dirigere, sed et Congregationum generalium disputationes ordinare (cf. *Ordo...*, art. 4, § 2). Ideoque, cum ipsis opportunum videtur, ad inutiles repetitiones vitandas, antequam in Congregatione generali disceptatio fiat, congre-



gare possunt Patres, qui de eadem re similes rationes exponere intendant, ut inter se conveniant ad unum vel duos oratores eligendos, qui nomine ceterorum loquantur, eorum nominibus necnon rationibus publice citatis.

3. Oratorum indice exhausto, Moderator facultatem loquendi concedere potest Patribus, qui nomine saltem 70 aliorum Patrum illam petierint praeter assignatos temporis limites.

4. Disceptationi fine imposito, Moderator facultatem loquendi concedet Patribus, qui illam petierint nomine saltem 70 aliorum Patrum et novas rationes proponere velint.

5. Sine expressa Praesidis licentia, petenda per Secretarium Generalem, nemini licet distribuere in Aula vel in eius viciniis, cuiusvis generis folia, opuscula, libellos etc.

Spectat ad Secretarium Generalem huius normae executionem curare.

Ss. mus Dominus Noster PAULUS PP. VI, in Audientia infrascripto hac die impertita, praedictas normas approbare dignatus est, derogando, quatenus opus sit, Ordini Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi.

Die II mensis Iulii, anno MCMLXIV.

✠ PERICLES FELICI

*Archiepiscopus tit. Samosatensis
Ss. Concilii Secretarius Generalis*

4

RESCRIPTUM

DE INITIO TERTIAE PERIODI CONCILII OECUMENICI VATICANI II *

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in Audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut tertia Ss. Concilii Oecumenici Vaticani Secundi periodus initium habeat die XIV mensis septembris, in Exaltatione S. Crucis, anno MCMLXIV.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iulii, anno MCMLXIV.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

* A.A.S., 56 (1964), p. 600.